



Universitätsbibliothek Paderborn

Decisiones Practicæ Casuum Conscientiæ Selectorum In Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Pars Altera Decisionum Practicarum Casuum Conscientiæ Selectorum In
Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim
Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Leonardelli, Bonaventura

Augustæ Vindelicorum ; Græcii, 1739

Q. 3. An, qui ad primum horæ duodecimæ pulsum non Statim cessat à
potatione, vel comestione, sed exspectat donec omnes horæ ictus
absolvantur, possit licitè die sequenti communicare?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41144

probans, magnum esse discrimen inter illud, & hoc prælens dubium. Ratio negativæ sententiæ est; quia jejunium prærequiritur ut conditio ad participandum illud Dei beneficium: ergo qui vult illius particeps fieri, debet probare se habere conditionem requisitam; sicut in foro externo, qui vult frui beneficio, quod nobili conceditur, se nobilem probare debet.

Affirmativam sententiam, quòd inposito casu liceat communicare, vel celebrare, docet Lugo l.c. & à fortiori illi, qui cum Laym. Dicastill. Carden. Pasqual. &c. etiam in dubio præcedente affirmativam sunt amplexi. Ratio est, quia, qui ita dubitat, certus est, quòd fuerit jejunus post medium noctis, habetque jus certum semel communicandi pro illa die, nec tenetur positivè probare se esse idoneum, sed satis est, quòd sciat, se fuisse idoneum, & non sciat, se non esse amplius; nam sic manet in possessione suæ libertatis, & juris certi, quod habuit, donec ei contrarium probetur, & à sua possessione dejiciatur; ad eum modum, quo in foro externo condemnari debet ille, cui incumbit onus probandi, & adversa pars absolvi, si manente dubio deficiat probatio; atque adeò dum manet dubium, an talis comederit, nec ne, nihil probatur contra ipsum, ejusque jus certum,

quod priùs habebat, quodque non scit se amisisse, nec contrarium probatur; sicque absolvendus, & ad communionem admittendus erit.

Sententià hæc utique verè probabilis est, imò probabilior opòpositâ negativâ, ad cujus rationem in contrarium allatam respondere potest, dist. conseq. nisi sciat ante medium noctis se fuisse jejunum, & jus tunc habuisse ad Communionem, C. C. secus, n. c. nam tunc non debet ipse probare positivè qualitatem, & conditionem, quam scit se habuisse, sed sufficit, si se negativè habeat, quia tunc solùm paratus venit ad sui defensionem, manetque in possessione juris certi præhabiti, donec ab illa positivè ab adversario deturbetur.

Ad 3. Q. Complures rectè 257
cum Lug. l. c. Diana tr. 13. R. 54. Castro Palao tom. 1. tr. 2. D. 2. p. 7. Negativè respondent, quia jejunium naturale incipit à puncto mediæ noctis, quæ apud nos est hora duodecima; hora autem duodecima ad primum horalogii ictum jam completa est, & terminata, & jam incipit tempus sequentis horæ; nam ictus non ante incipiunt, quàm hora sit finita, & absoluta, quæ hora cum unico pulsû, seu ictu indicari non possit, ideo ictus multiplicantur, &
repe-

repetuntur usque ad duodecimum, inter quem proin, & primum ictum notabile in hac materia temporis spatium intercedit post horam duodecimam jam completam.

Non nulli tamen apud Dian. l. c. & cum & apud Leandrum rr. 7. D. 5. q. 7. docent non improbabiliter, ubi unicum est tantum horologium, cum duodecima noctis hora sonare incipit, non teneri eum, qui communicaturus est die sequenti, statim ad primum ictum desistere à cibo, vel potu, sed posse pergere, donec omnes pulsus absolvantur, eò, quòd signum horæ sit moraliter accipiendum,

non verò in rigore mathematico.

Quòd si plura sint horologia aliàs benè procedentia, & non constet de errore alicujus, potest quis cujuslibet etiam ultimi mensuram sequi, prout docent Lugo Th. Sanch. Dicastillo Dian. aliique, quia singula horologia, quamdiu non constat de errore, faciunt opinionem probabilem, quam quis licitè sequi potest; non tamen sunt horologia pro libitu varianda in fraudem legis, aut præjudicium tertii, ut notat, & probat Lugo variis exemplis,



CA-